10

DISPUTATIO

DE ARTHRITIDE

Tertia:

CONTINENS ILLIUS SIGNA DIAGNOSTICA ET PROGNOSTICA:

Quam

In inclyta Argentoratenſium Academia publici exercitij gratia proponit

MELCHIOR SEBIZIUS JUNIOR: DOCTOR ET PROFESSOR MEDICINÆ ORDINARIUS:

Reſpondente

JOHANNE GEORGIO GUSTELIO ARGENTORATENSI.

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS CAROLI.

M. DC. XVI.

VIRO

REVERENDO, CLARISSIMO,
& experientiſſimo;

Dn. JOHANNI LUDOVICO HAVVENREUTERO, Philoſophiæ & Medicinæ Doctori celeberrimo, Phyſices in inclytâ Argentoratenſium Academiâ Profeſſori acutiſſimo, p.t. Decano ſpectabili;

Domino Præceptori, fautori ac patrono æternùm colendo,

Hanc tertiam de arthritide diſputationem.

Debitæ obſervantiæ ergò offert atq; dedicat

Joannes Georgius Guſtelius Argentoratenſis.

THESIS

I.

TErtium caput noſtri de Arthritide tractatus SIGNA complectitur: quæ *theſi 10.* primæ diſputationis duplicia eſſe diximus: nempe DIAGNOSTICA & PROGNOSTICA. Illa τῶν παρόντων δηλωτικὰ, præſentiũ declaratoria à *Galeno lib. de ſubfigurat. empirica c. 6.* & in μικροτέχνῃ c. 7. nominantur: hæc τῶν μελλόντων δηλωτικὰ, futurorum præſaga ibidem vocantur.

2. Priori verò loco verba de diagnoſticis faciemus: eaque partim in παθογνωμονικὰ, quæ tùm in genere affectionem ipſam: tùm in ſpecie illius differentias à ſubjecto, forma, occaſione generationis, & adjunctis petitas manifeſtabunt: partim in αἰτιογνωμονικὰ, quæ & humores affluentes: & partes mandantes: & vias, per quas humores ad articulos fluunt, oſtendent, diſpeſcemus.

3. *Generalia arthritidis ſigna* etiam plebeis nota ſunt. Nam cum ægri de articulorum dolore tenſivo, qui motu, contactuve exacerbatur: quique vel derepentè & ex improviſo, nullis ſcil: antegreſſis ſymptomatibus ac moleſtijs: vel lentè & paulatim, prodromis quibuſdam præmiſſis, eos adoritur, & per intervalla redit, conqueruntur: adhæc præ dolore difficulter admodum articulos movere queunt: præterea tumorem, ruborem, calorem, moleſtamque pulſationem in ijſdem perſentiunt: hancque ob cauſam vigiles atque inſomnes noctes traducunt: inquieti ſunt valdè: levi jactantur febricula: ciboſq; averſantur: arthritidem adeſſe omnes affirmant.

4 Vbi tamen notandum, ſigna ultimò prolata non in quavis, ſed calida ſolùm arthritide locum habere.

5. *Specialia cujuſq; differentiæ ſigna ſunt ſequentia.*

6. *Vniverſalis* quidem *arthritidis*, ſi narrata jam ſymptomata in omnibus, aut pleriſque articulis animadvertantur. *Particularis* verò, quando in unius ſolùm membri juncturis obſerventur.

7. Chiragram enim v. g. cognoſcimus ex tenſivo articulorum, qui in manibus ſunt, dolore: Gonagram ex tenſivo dolore genuum: Podagram ex tenſivo dolore pedum: Iſchiadem ex atrociſſimo coxendicũ cruciatu: qui tamen non in coxendicibus ſolùm manet, ſed, ut *Hippocrates lib. de affectionibus* docet, evagatur & ſerpit latiùs: adeò ut propter inſignes illos nervos, qui à lumbis & ab oſſe ſacro emergunt, inque artus inferiores prope coxendices inſeruntur, & lumbi, & clunes, & femora, & tibiæ, & extremi pedes, quocunque nimirum ab affectis coxendicibus deducti nervi pertingunt, vehementer doleant & compatiantur. Vnde *Aretæus l. de ſign. & cauſ. diut. morbor: c. 12.* rectè dixiſſe videtur, iſchiadem omnia potiùs, quàm coxendicum morbum eſſe.

8. Qua verò in articuli parte humor ſit impactus, num videlicet in profundo hæreat: an externam magis illius regionem obſideat, ex tumore, dolore, & motu potiſſimùm venari licet.

9. Etenim ſi tumor evidens ſit & manifeſtus: ſi dolor foris ſentiatur inſignis, ita ut ne blandiorem quidem contactum ferre poſſit: argumentum eſt, partes articuli exteriores magis infeſtari. Sin tumor aut nullus ſit: aut vix ſenſibilis: ſi contrectatum membrum non ſtatim doleat: ſed contactum digitorum tolerare valeat: ſi dolor in profundo percipiatur: deniq; ſi ægerrimè particula afflicta moveatur: indicia ſunt, materiam noxiam interiora præcipuè occupare, & cavitates articulorum, ligamenta, atque perioſtia omnium maximè affligere.

10. *Signa levioris arthritidis* ſunt ſymptomatum levitas: durationis brevitas: & curationis facilitas. Gravioris vehementiorisque ſigna hiſce ſunt contraria.

11. *Signa arthritidis hæreditariæ* ſunt, ſi parentes & avi fuerint arthritici: ſi conſanguinei eodem malo conflictentur: denique ſi nulla neque diæta, neque pharmacia perfectè curari poſſit. Aſcititiæ autem, cum cauſæ affluentem materiam gignentes, articulosque debilitantes, de quibus in *ſecunda diſputatione à theſi*

124. usq; ad 137. actum, anteceſſerunt: aut quando affectus alij prægreſſi ſunt, quorũ cauſæ interiores ad articulos ſunt translatæ: quemadmodum ex *theſi 45. 87. & 88. ejusdem diſputationis* patet.

12. *Arthritis nodoſa* & tophacea vt cognoſcatur, multis ſignis haud indigere videtur: ſiquidem tophi illi, ſive nodi, quos Græci πώρυς vocant, viſu atque tactu ſentiantur.

13. Occupant autem frequenter internodia digitorum manuum atque pedum: & ſi in oſſium intercapedinibus generentur, oſſa tandem ſuis ſedibus dimovent: membra diſtorquent: naturalemque eorum figuram turpiter pervertunt. Aliquando cutim diſrumpunt atque dilacerant: & ab ipſis ægrotantibus evelluntur.

14. Sunt, ut hoc παρέργως immiſceamus, corpora alba, dura, ſicca; friabilia tamen, & gypſo ſimilia: cauſamque habent duplicem: ſicut ex *Galen. l. 7. compos. medicam. κ. γένη. c. 9. Paulo l. 3. c. 78.* & *Aëtio tetrabibl. 3. ſerm. 4. c. 21.* colligimus: vnam *materialem*: craſſum ſcilicet viſcoſumque humorem: qualis eſſe cruda pituita ſolet: alteram *efficientem*: eamq; rurſus bipartitam: internam: calorẽ videlicet nativum articulorum, qui tenuiores materiei portiones attenuat, rarefacit, inque halitum vertit: terrenas autem fæces relinquit: & externam: nempe vel medicamenta topica validè calefacientia, digerentia atque ſiccantia, quæ ſubtiles impactæ materiæ partes diſſipant atque diſſoluunt: craſſas autem & fæculentas cogunt, inſpiſſant, & conglutinant: vel admodum refrigerantia: quæ ſi aſſiduè imponantur, materiam incraſſant, & quaſi congelant.

15. Hæc de ſignis παθογνωμονικοῖς. Sequuntur ἀπογνωμονικά: & primùm quidem illa, quæ affluentes humores patefaciunt.

16. Hauriuntur autem ex pluribus fontibus, *Galeno lib. 10. de compoſit. medicam. κ. τόπ. c. 2.* authore: nimirum ex coloribus: ſymptomatibus ſupervenientibus: juvantibus ac lædentibus pharmacis: prægreſſa diæta: ætate: habitu corporis: anni tempore: regionis & aëris conditione.

17. *Sanguineæ enim arthritidis ſigna* ſunt, quemadmodum ex *Avicenna l. 3. fen. 22. tract. 2. c. 6. Tralliano l. 11. c. 1. Paulo l. 3. c. 78.* & *Aëtio tetrabibl. 3. ſerm. 4. c. 14.* conſtat, rubor intenſus: tumor effatu dignus: calor vehemens: tenſio magna: pulſatio arteriarum mo-

leſta: durities & renitentia inſignis: venarum repletio evidens atque conſpicua: habitus corporis carnoſus: ætas juvenilis: tempus vernum: regio temperata: aſſumptorum eduliorum bonitas, & vis ad nutriendum eximia: conſuetę ſolennisque ſanguineæ vacuationis, qualis fieri per nares, uterum, & venas hæmorrhoidales ſolet, ſuppreſſio: aut arte fieri ſolitę intermiſſio: levaminis ex venæ ſectione, & topicis mediocriter refrigerantibus manifeſta perceptio.

18. *Bilioſæ arthritidis ſigna* ſunt juxta eosdem authores, color partis obſeſſæ ex rubro flaveſcens: (alij flammeum, & ſubrubeſcentem ponunt:) tumor exiguus: calor igneus: dolor acerbus, pungens ſcilicet atque lancinans: qui tertio quoque die exaſperatur: temperatura corporis calida & ſicca: vrinæ flavæ, acres atque mordaces: tempus æſtivum: alimenta multùm calida: qualia ſunt amara, acria, ſalſa, & aromatibus valdè condita: exercitia corporis violentiora: bilis, ſive naturâ, ſive arte conſueta erat, vacuatio cohibita: magnus voluptatis & alleuationis ex refrigerantium topicorum uſu ſenſus.

19. *Pituitoſæ arthritidis ſigna* ſunt color dolentis loci albicans: tumor laxus & mollis, qui prementibus digitis facilè cedit: calor remiſſus: dolor levis: exacerbatio nocturna, & quotidiana: temperatura frigida & humida: ætas ſenilis: tempus hybernum: vita prægreſſa deſes & otioſa: ingeſta alimenta in quantitate nimia: aut in qualitate frigida atque humida: pituitę, quæ natura, vel arte per nares, palatum, vomitum, aut aluum excerni ſolebat, ſuppreſſio: læſionis ex frigidorum: utilitatis ex calidorum remediorum applicatione perceptio.

20. *Melancholicæ arthritidis ſigna* ſunt, color laborantis particulæ nigricans aut ſublividus: dolor quàm in ſanguinea & bilioſa multò remiſſior: ejusdem exacerbatio quarto quoque die recurrens: complexio melancholica: tempus autumnale: victus melancholicum ſuccum producens.

21. Atque hæc ſimplicum arthritidis ſpecierum, quę tamen, ſicuti *theſi 56. diſput. primæ* indicatum, rarò fiunt, ſunt indicia. Vbi 4. notanda: 1. per ſanguinem, bilem, pituitam, & melancholiā tenuiores duntaxat liquidioresque eorum partes, quas Galenus ἰχῶρας vocat, intelligi: veluti *theſi 36. 37. & 38. ſecundæ diſputationis*

ſputationis expoſitum. In quibus tamen hæc eſt differentia: quod alij ichores ſubtiliores: alij craſſiores exiſtant. II. non omnia ſigna in omnibus: ſed in alijs plura: in alijs pauciora obſervari. III. quò puriores ſyncerioresque dictorum humorum ichores ſunt, eò etiam ſigna narrata eſſe illuſtriora: quò impuriores, eò obſcuriora. IV. quædam merè eſſe ſigna: quædam verò cauſas: eatenus tamen ad ſigna referri, quatenus redundantes in corpore humores, & inde natam arthritidem patefaciunt.

22. Quodſi *miſta* fuerit *arthritis*, ex plurium ſcilicet humorum influxu genita, quemadmodum crebrò contingit, miſta quoque indicia apparebunt. Illius tamen humoris ſigna magis elucebunt, qui in miſtura prædominium obtinet.

23. *Arthritis ſeroſa*, quæ quidem à mero ſero originem traxit, ex præcedentibus cauſis, quæ ſeri copiam procreant, cognoſcetur. Illæ verò *theſi 125. diſp. 2.* declaratæ fuerunt.

24 *Signa partes mandantes demonſtrantia* varia ſunt pro varietate partium, quæ humores ad articulos mittunt.

25. Nam ſi materia à capite fluit, tùm paroxyſmos præcedere illa ſymptomata conſueverunt, quæ *theſi 84. diſp. 2.* ex Fernelij ſententia poſita ſunt. Aliquando & illi prodromi obſervantur, de quibus in *eadem diſput. theſi 72.* actum. Quibus prævias deſtillationes: ſenſuum perturbationem & vertiginem addere poſſumus. item, quod dolores & tumores in articulis non ſubitò & *ἀθρόως*, hoc eſt, confertim: ſed paulatim fiant, incrementumque capiant: quodque magna ex parte arthritis frigidá ſit: ſeroſa ſcilicet & pituitoſa: cujus tamen indicia jam explicuimus.

26. Si ab hepate & venis manat, dicta ſymptomata abſunt: articuli ſtatim dolent: tument: &, ſi calida ſit materia, rubent: manuum præſertim, genuum, ac pedum: venæ ad eos directæ mox in principio mali turgidæ ſunt atque repletæ: febricula plerumque moleſta eſt: humor utplurimùm ad multos confluit articulos: ſudores ac vrinæ ſunt pauciores, quia materia illarum ad juncturas ablegatur: aliquando cachexia, aut febres diuturnæ præceſſerunt: quorum materias ad articulos quandoque natura protrudit.

27. Si à parte alia proficiſcitur, illius malè affectæ indicia

aderunt

aderunt. Nam ſi v. g. proceſſit ab utero, menſtrua fortè ſuppreſſa ſunt: ſi ab inteſtinis, vel colica, vel diarrhoea, vel dyſenteria, ſed intempeſtvè cohibita, prægreſſa eſt: ſi à renibus, eorum dolor priùs moleſtus fuit: & ſic de cæteris.

28. *Signa vias*, per quas humor decurrit, *palàm facientia* itidem variant.

29. Etenim, ſi vias occultas, cæca ſcil: ſpiracula, quæ inter cutim & carnem interjecta ſunt, permeat, fluxio tarda eſt atq; lenta: præſertim ſi humor ſit craſſiuſculus, & viæ anguſtiores: tumores ac dolores in articulis fiunt ſenſim & pedetentim: ægri ante paroxyſmũ de moleſtijs quibuſdam in vijs intermedijs, e. c. de levi quodam horrore ac frigore: vel de titillatione & pruritu partium ſubcutanearum: vel de doloribus cervicis, ſcapularum, dorſi, lumborum &c. conqueruntur.

30. Quodſi per vias manifeſtas, ipſa nimirum vaſa ad articulos tranſierit, illa ſigna ſeſe offerent, quorum *theſi 26.* mentio facta.

31. Pergamus ad SIGNA PROGNOSTICA: & primùm prognoſtica *generalia* cujusvis arthritidis: deinde *ſpecialia*, quæ illius differentias concernant, tradamus.

32. *Prædici autem in genere de arthritide poteſt*, quod ſit affectus contumax, ægreq; curabilis: & id quidẽ tribus potiſſimùm de cauſis. I. propter inobedientiam & intemperantiam ægrotorum: ad quam *Galenus l. 6. tuend. ſanit. c. 7.* reſpiciens, dicebat, intemperantes toto vitæ curriculo ab arthritide explicare ſe non poſſe. II. propter inſcitiam & imperitiam quorundam Medicorum, qui nulla habita ratione cauſarum, uno modo omnes arthriticos curare conantur. III. propter articulorũ imbecillitatem tàm nativam, quàm aduentitiam: cui difficulter ſuccurri poteſt.

33. Arthritis, inquit *Hippocat. l. περὶ παθῶν, & l. 1. de morbis*, lethalis non eſt: niſi quid ipſi accedat: hoc eſt, per ſe non interficit: cum externas ſolùm, eaſque ignobiles partes obſideat: atque ita internas à noxijs humoribus vindicet. Interficere autẽ poteſt per accidens: ſcilicet ratione ſupervenientium ſymptomatum: aut decubitus materiei ad membra principalia.

34. Arthritis frequentiùs viris quàm mulieribus accidit:

Aretaus

Aretæus l. 2 de ſign. & cauſ. diut. morb. cap. 12. Ratio forſan eſt: quia mulieres ſingulis menſibus à ſuperfluitatibus corporis repurgantur.

35. Arthritis crebriùs cadit in ſenes quàm in juvenes. *Avicenna l. 3. fen 22. tract. 2. c. 5.* Vnde ab *Hippocrate aphor. ultimo ſect. 3.* inter morbos ſeniles refertur. Cauſa eſt, partim cruditatum proventus ob caloris paupertatem: partim imbecillitas tùm corporis totius: tùm potiſſimùm ipſorum articulorum.

36. Quanquam *Hippocrates l. περὶ παθῶν* contrarium ſtatuere videatur: inquiens, articulorũ affectum junioribus magis quàm ſenioribus contingere. Verùm conciliatio facilis eſt: quia in aphoriſmis loquitur de arthritide pituitoſa, quemadmodum colligitur *ex commento Galeni*: libro autem περὶ παθῶν de bilioſa. Jam cum pituita abundet in ſenibus: bilis in juvenibus: rationi conſonum eſt: illos in frigidam & pituitoſam: hos in calidam atque bilioſam arthritidem proniores eſſe.

37. Arthritide ſæpiùs infeſtãtur magnates, & lautioris fortunæ homines, quàm quos paupertas premit. Ratio eſt in promptu: quoniam illi plerumque varijs utuntur epulis: in otio degunt: & licenter admodum in cæteris non naturalibus rebus vivunt. Hi contrà aluntur frugaliter: exercentur quotidiè: & laborum beneficio à ſuperfluis humoribus liberantur. Nam quemadmodum ſegnities & otium corpus humectat atque debilitat: ſic labor illud ſiccat, robuſtumque facit. *Hippocr. l. 2. de diæta.*

38: Arthritis diu affligens, crebròque recurrens, artus tandem juxta Avicennam vehementer emaciat & extenuat: adeò ut tabe & ἀτροφίᾳ laborare videantur. Quid ita? Quia ob humores affluentes, graveſque dolores, nativa eorum temperatura corrumpitur: humidum radicale exhauritur: ſpiritus diſſipantur: calor imminuitur. Hinc mala nutritio: hinc macilentia.

39. Arthritidis ſiniſtra curatio plurimorum malorum cauſa exiſtit. Fiunt enim tophi, & incuruantur, contrahunturque articuli, quando topica valdè calfacientia, ſiccantia, aut refrigerantia applicantur. *Aëtius.* Humores magis attrahuntur, cum admodum calida imponuntur. *Idem.* Articuli laxan-

tur, effæminantur, debilitanturq; valdè, & ad excrementorum ſuſceptionē redduntur aptiores, cum oleoſa, pinguia, & humectantia nimis frequenter admoventur. *Idem.* Confert ſe materia ad partes alias, & pro illarū varietate varia ſymptomata excitat, ſi corpore neq; per venę ſectionem: neq; per purgationē: neq; per media alia priùs vacuato, repellentibus tantū, intercipientibus, adſtringentibus, articulosque corroborantibus medicamentis, quò minus materia ad eos fluat, inſiſtamus. *Avicenna*: *Aretæus*: & *Aëtius* locis ſæpiùs citatis. Hinc ſcribit *Aretæus*, podagram multis in hydropem conceſſiſſe: quibusdam in aſthma. Id quod etiam *Trincavella* in duobus patritijs venetis obſervavit: quorum unus ex aſthmate perijt: alter verò in graviſſimam febrim cum totius corporis tremore, ſenſuumq; omnium ſtupore incidit: qui tamen multis adhibitis remedijs longo tandem pòſt tempore convaluit. *Lib. 12. praxeωs c. 1.*

40. Arthriticis ſi varices ſuperveniant, curantur. *Avicenna.* Diarrhoeæ etiam atque hæmorrhoides ijsdem ſunt proficuæ. Avertitur enim materia ab articulis, & per convenientia loca educitur.

41. Si in arthritide nullus tumor appareat, dolores fiunt acerbiores. Tumore autem apparente, ut plurimùm mitigantur: quoniam materia foràs propulſa majori laxiorique in ſpatio continetur: ex quo tanta diſtenſio, tantaque continui ſolutio non fit, ſicuti priùs: & per conſequens neque tam atrox dolor: modò nova materia non ſuccedat: aut tanta illius copia in principio affluxerit, ut & internas & externas articulorum regiones occupârit.

42. *De differentijs verò arthritidis in ſpecie* ſequentia dari poſſunt prognoſtica.

43. *Arthritis univerſalis* periculoſior, diuturnior, curatuque difficilior eſt particulari: quia materia eſt copioſior. dolorque plura loca occupat.

44. Arthritis univerſalis interdum diuturnas febres ſequitur. *aphor. 44 ſect. 4.* ſi nimirum materia illarum non perfectè neque à natura, neque à Medico fuerit evacuata. Tum enim reſidua ad articulos protruditur.

45. In hiſce tamen febribus ab arthritide & abſceſſibus imminen-

minentibus liberat vrina multa craſſa & alba reddita; *aphor.74. ſect.4.* Ratio eſt: quoniam materia redundans ad meatus vrinæ transfertur.

46. Arthritis univerſalis etiam ſuppreſſionem menſtruorum: purgamentorum puerperij: hæmorrhoidum: & præproperam dyſenterici fluxus cohibitionem comitatur: uti patet ex *theſi. 45. & 87. diſput. 2.*

47. *Inter particulares arthritides* graviſſima omnium illa eſſe videtur, quæ Iſchias vulgò nominatur. *Avicenna l. 3. fen. 22. tract. 2. c. 5.* Idque 1. extenſivè. quia & lumbos, & clunes, & femora, & tibias, & imos pedes afficit: quemadmodum ex *theſi. 7.* conſtat. 2. intenſivè: quoniam illius dolores ob nervos, qui patiuntur, plurimos atque ampliſſimos, acerbiſſimi ſunt. 3. effectivè: quia ob doloris atrocitatem multorum ſymptomatum cauſa eſt: nempe vigiliarum, inquietudinis, febris, languoris virium, inappetentiæ &c. Multi quoque, ait *Hippocrates l. de intern. affect.* ex coxendico dolore claudi fiunt. Adde quod ob loci, in quo recondita materia eſt, profunditatem, ægrè curationem admittat.

48. Iſchiades autumnali potiſſimùm tempore expectandæ: *aphor. 22. ſect. 3.* Rationem Galenus reddit duplicem: humorum pravitatem, & frigiditatem aëris. Illa ex mala victus ratione; præſertim vero ex fructuum horæorum, quorum copia æſtate & autumno ſuppetit, frequenti eſu naſcitur. Hæc verò humores difflari non ſinit. Collecti ergò cumulatiùs, tùm ad partes alias, tùm ad articulos & coxas decumbunt.

49. Quibus diuturno iſchiadico dolore divexatis femoris caput coxâ excidit, rurſumque recidit, ijs mucoſa ibidem pituita colligitur: *aphor. 59. ſect. 6.* Cauſam ſubjungit Galenus: quia à pituita illa ligamenta de articulationis laxiora fiunt.

50. Quibus longo iſchiadico dolore conflictatis femoris caput coxâ excidit: ijs femur contabeſcit, & claudicant: niſi vrantur: *aphor. 60 ſect 6.* Contabeſcit quidem femur tribus de cauſis. 1. quia non movetur. Unde fit, ut calor, qui attractionis & concoctionis alimenti cauſa eſt, imminuatur. II. quia àb humorum pituitoſorum præſentia intemperiem, & hinc imbecillitatē quandam acquirit: quam nutritionis oblæſio conſequitur.

ſequitur. III. quia luxatum femur venas & arterias compri-mit, aut diſtorquet: ut neque alimentum, neq; ſpiritus, neque calor vitalis liberè in illud, partesque ſubjectas, influere poſſit. Claudicat autem, quia femore coxæ ſinu ob mucoris multitudinem elapſo, pes longior fit aut brevior. Quare ne tabes & claudicatio ſuperveniat, vrendum: ut & mucor exiccetur abſumaturque: & laxitas cutis, ad quam articulus luxatus vergit, arctetur, articulusque transponi prohibeatur.

51. Accedamus ad Podagram.

Hippocrates eam *l.1. de morb. & lib. de affect.* inter morbos longos quidem: at minimè lethales reponit. Ratio patet ex *theſ. 33. & 34.*

52. Podagra pueri non laborant ante veneris uſum: *aphor. 30. ſect 6.* quia nimirum venus magnam vim habet ad podagræ generationem: *Galenus in commento.* I. quia corpus univerſum, & per conſequens etiam articulos debilitat, ſanguinem exhauriendo: ſpiritus diſſipando: calorem extinguendo. II. quia crudos humores ſubminiſtrat: concoctionis cauſam, calorem videlicet, imminuendo. III. quia collectos humores ad fluxum movet: vias & meatus aperiendo dilatandoque: & quidem motu atque concuſſione totius corporis, jugique ſpermatis per vaſa decurſu.

53. Quodſi tamen pueri podagricis ſint ſati parentibus: articulos habeant infirmos: ſuaque voracitate plus cruditatis accumulent, quàm nativus illorum calor vincere & concoquere valeat: nil impedit, quò minus in podagram incidere valeant. Hinc ſcribit *Hollerius in comment. hujus aphoriſmi,* ſe pueros decem ſaltem annos natos podagricos vidiſſe.

54. Podagra eunuchi non corripiuntur: *aphor. 28. ſect. 6.* Rationes jam ſunt expoſitæ. ἐπανόρθωσιν tamen Galenus in coment ſubjungit: dicitque, verum hoc fuiſſe Hippocratis tempore, propter temperantiam: ſuo verò non item. Licet enim eunuchi veneri non indulgeant: quosdam tamen ex ijs podagra laboraſſe teſtatur: idque ob deſidiam: ingluviem: & ebrietatem.

55. Podagra mulieres menſtruum fluxum debito modo patientes non adoritur: *aphor. 29. ſect. 6.* Galenus in Comment. inquit, hoc fieri ratione evacuationis. Sed iterum monet, rem ita ſe habuiſſe ætate Hippocratis; quia mulieres erant conti-

nentiores

nentiores. At poſterioribus ſæculis, converſa mulierum vita ad luxum & libidinem, quasdam podagra correptas fuiſſe: & antequam deficerent menſes: & cùm parcè fluerent: & cùm mediocriter. Cui graviſſimus author Seneca ſubſcribit: qui in epiſtola quadam in Romanas invehitur mulieres, quod ſua intemperantia mendacem feciſſent Hippocratem.

56. Podagrici dolores magna ex parte vere & autumno moventur: *aphor. 55. ſect. 6.* Vere quidem: quia corpus aëris tepore aperitur: humores funduntur & liquantur: qui fuſi à partibus internis, utpote fortioribus, ad externas, tanquā debiliores ignobilioreſq́;, & conſequenter etiam ad articulos protruduntur: præſertim cū natura propter ſanguinis, ſpirituū, & caloris copiam verno tempore ſit validiſſima, ac proinde ad profundum corporis expurgandum prompta atque parata. Autumno verò: quoniam vis expultrix, quæ ſingulis partibus eſt inſita, κακοχυμίαν æſtate, partim ex horæorum fructuum eſu: partim ex virium caloriſque imbecillitate contractam, excernit, adeòque etiam ad articulos propellit.

57. Podagra ſedata inflammatione intrà dies 40. conquieſcit: *aphor. 49. ſect. 6.* dummodò inquit *Galenus in Comment.* Medicus ſuo in opere non aberraverit: & æger illi in omnibus obedierit.

58. De podagricis hæc *Hippocrates l. 2. prorrheticor.* prædicit. Quicunque aut ſenes ſunt: aut circa articulos tophos & nodos habent concretos: aut miſerè, laborioſè, & ærumnosè vivunt: (ὅπου ταλαίπωρον ζῶσι,) ac ſiccam inſuper alvum poſſident: hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte. Sanant quidem hos dyſenteriæ, ſi ſupervenerint. Sed & aliæ eliquationes (ἐκτήξιες) valdè proſunt, quæ ἐς τὰ κάτω χωρία ἕρπουσι, ad infernos locos repunt. Qui verò juvenes ſunt: & circa articulos nondum tophos (ἐπιπωρώματα) habent: & accuratè viuunt: & laboris ſunt amantes: & alvum obtinent bonam ad obediendum pro ratione ſtudiorum: ij ſanè Medicum prudentem ac eruditum nacti curari queunt.

59. Podagra ſi fuerit συγγενὴς, congenita, ſive hæreditaria, δυσαπάλλακτος ἐστὶ, difficulter curatur: ſicut & phthiſis atque epilepſia. *Hippocrates ibidem: ſed paulò ſuperiùs.* Ratio eſt: quoniam

 ſemina

ſemina illius generationis primordijs ſunt inſperſa. At quæ na turâ inſita ſunt, penitùs eradicari nequeunt.

60. Arthritis atroces inferens dolores: horumque cauſa vigilias, febres, inappetentiam, languorem virium, &c. inducens, gravis eſt, & periculoſa. Tuta contrà, quæ mitior exiſtit.

61. Arthritis pituitoſa longa eſt: quia πᾶν ψυχρὸν δύσλυτον, omne frigidum difficulter ſolubile. *Galenus com. 34. ſect. 7. aphor.*. Minus tamen vehemens: quoniam frigida qualitas calida ignavior. Bilioſa brevis quidem: at dolorifica magis, ob cauſas contrarias. Sanguinea venę ſectione citò curatur: *Galenus 10. compoſit. κ, τόπ. c. 2.* & præcavetur, eadem maturè adminiſtrata. *Galen. l. de cur. rat. per S. M. c. 7.*

62. Arthritis diuturnior eſt, quò humor influens copioſior, craſſior, tenacior; quòque articuli debiliores frigidioresque. Brevior contrà, quò humor paucior: quò tenuior: quò articulorum vis expultrix robuſtior. *Aëtius tetrabibl. 3. ſerm. 4. c. 8.*

COROLLARIA.

I.

P*Aræus perſuaſum habet, cauſam arthritidis eſſe humorem malignum & venenatum: eò quod nunquam ſuppuretur: quæritur ergò: an materia venenata in pus verti nequeat? Poteſt omninò: id quod bubones venerei & peſtilentiales oſtendũt.*

II.

Num ſicuti tenſivus dolor in quavis ſentitur arthritide: ita & pulſatorius? N.

III

Vtrum qui podagricis ſati ſunt parentibus neceſſariò podagrici fiant? N.

An

IIII.

An qui ſanos habuêre parentes, à podagra ſint exempti? N.

V.

Cum hæreditaria arthritis judicetur incurabilis, quæſtio oritur, an illius cura à Medico ſuſcipienda? A.

VI.

Sitnè ſimpliciter & abſolutè illud verum, quod Hippocrates lib. περὶ παθῶν *de podagra ſcribit: nempe eam* βιαιοτέραν, *violentiorem eſſe omnibus arthritidis ſpeciebus: item* πολυχρονιωτάτην, καὶ δυσαπαλλακτωτάτην, *omnium diuturniſſimam, ægerrimèque cedentem? N.*

VII.

Cum in affectibus rheumaticis unus idemq́ue humor & cauſa προηγουμένη, *&* συνεκτικὴ *eſſe poſſit: quemadmodum id exemplo arthritidis diſput. 2. theſ. 6. declaravimus: quæritur, an propterea duæ iſta cauſæ ſpecie ſint eædem? N.*

AD DOMINUM RESPONDENTEM AMICVM SVVM.

SVnt magno magnas conatu tradere nugas
Queis placet: ac doctis ritè placere volunt.
O ſtolidas hominum mentes! ô pectora vana!
In tenebris ratio veſtra ſepulta jacet.
Tu quia proponis doctis nunc Themata docta:
Et ſapis, & doctis jure placere potes.

Fructus

Fructus honos oneris dabitur tibi: lauſq́ ſequetur:
Gloria te digno conſtituetq́ loco.

Amoris ergò F.

Johannes Reinhardus Storck/
Argentoratenſis.

FINIS.